



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Liber Quartvs Qvod Cristiana Libertas non sit carnalis. Simon.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

LIBER QVARTVS

QVOD CHRISTIANA LIBER
tas non sit carnalis.

S I M O N.

I.
TRACT.



AMET SI illorum opinio, qui ex spi-
rituali & Christiana libertate carna-
lem faciūt mihi nunquam probata est,
argumenta tamen quædam ab illis au-
diui, quæ uidebantur mihi adprobare, quod & Chri-
stus per Euangelion carnalem quandā libertatē pre-
staret. IOIADA. Quæ ergo sunt illa, quæ te-
tam ancipitem reddunt? SIMON. Filij sunt li-
beri, Christiani sunt filij, ergo Christiani sunt liberi.
Maior propositio petatur ex uerbis Christi Matt. 17.
Minor ex cap. 1. Ioannis. IOIADA. Fallacia hic
committitur, quam tu parum expendis. Aliter enim de
filijs loquitur Matth. 17. aliter Ioannis primo. In Mat-
thæo dominus de filijs loquitur, qui ex regia stirpe na-
ti priuilegiorum regalium sunt confortes. In capite
primo Ioannis Euangelista de filijs spiritualibus loqui-
tur, qui per fidem & gratiam sunt filij dei. Iam si sic
colligis: Filij dei sunt liberi, Christiani sunt filij dei,
ergo liberi: recte quidem colligis, sed eam libertatem
intelligas necesse est quæ spiritualis est. Nam quemad
modum

modum sunt filij, ita sunt et liberis: filii sunt spirituales, ergo spiritualiter sunt liberi. SIMON. Si non per omnia sumus liberi, quid ergo in euangelio de libertate praedicatur? IOIADA. Hoc est quod dixi, libertas quidem praedicatur, sed spiritualis non temporalis, quam plerique (ut uidemus) ex euangelio querunt. Euagelium docet, ut hi qui peccatis et carnis seruiunt, mundo, et principi huius mundi, ruptis vinculis, abiecta tam graui et turpi seruitute, serui fiant iustitiae et Christi. Hi uero carnalem quandam semper meditantur libertatem, qua sic sint liberi, ut nemini quidquam debeant. Auide haec ex ore ministrorum expectant, quoniam uero haec dicere non volunt, maledicunt et blasphemant uerbum dei carnales homines. Nouationem quandam somniant, ut sunt nouationis studiosi. Et certe euangelium nouat, sed intus in animo et uita hominis. Animus immutat et mentem hominis uerbum dei: innouat uitam, innouat mores, et totam hominis conuersationem, ut libeat a quo abhorreas, et horreas quod amabas et mordicus insequebaris. Erroribus succedit ueritas, tenebris lux, uitiosi uirtus, sceleribus iustitia, morti denique uita. An non haec eximia quedam et supra modum magna immutatio?

Sed audiamus iam scripturas ex apostolorum Petri et Pauli epistolis, Gal. 5. Vos in libertatem uocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem car-

LIBER III.

mis uertatis, sed per charitatem seruite uobis inuicem.
2. Pet. 2. Tanquam liberi, et non ueluti prætextū ha-
bentes malicie libertatē, sed tanquam serui dei. Ioan.
8. Si in uerbis meis manseritis, uere discipuli mei esis,
et cognoscetis ueritatem, et ueritas liber os uos redi-
det. Amen amen dico uobis, quod omnis qui facit pecca-
tum, seruus est peccati, seruus autem non manet sem-
per in domo, filius manet in æternū: si ergo uos filius
liberauerit, uere liberi eritis, et c. Ex quibus locis col-
ligimus, Christianam libertatem non carnalem esse li-
bertatem. Qui ergo ex euangelio quæstum uenantur
aut lucrum, Simonis magi sunt socij. Is enim aposto-
lis in hoc hærebat, ut liceret ei gratiam miraculorum
ab eis emere, et hinc mercaturā et cauponationem
instituere. Hic damnatur à Petro, et grauiſſime incre-
patur, ut cuius cor non rectum erat cum domino. Ex
quo colligi licet eos non syncero animo negocium eu-
uangelij agere qui in euangelio quæſū uenantur, Act.
8. Hypocritæ sunt, quidquid simulant, falso est.
Affectus ambitionis etiam in filijs Zebedæi erat, qui
primatum sectando Christum quærebāt, sed Christus
eorum petitionem duris uerbis refellit, et dicit: Ne
scitis quid petatis. Iudæorum hæc spes est, non Christia-
norum, qui etiamnum hodie magna quedam de Meſa-
fia ſuo ſomniant, et ſibi falſo promittunt. In quo era-
rore et catabaptistæ uidentur esse, qui quidquid in
prophetis

prophetis de regno Christi scriptum est, carnaliter in terpretantur. Veri Christiani negotia Christi æterni regis spiritualiter intelligunt. Iuxta quod regnum spirituale, terrenum et externum non damnant, cuius administratio magistratibus est commissa.

QVOD CHRISTIANORVM SIT
omnibus debita reddere.

S I M O N.

Quod uero Paulus dicit: Nemini quidquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis? Rom. 13.
TRACT.
IOIADA. Huius loci (ut omnis scri pturæ) interpretatio ex charitate pendet, quæ si proximum fraudat aut circumuenit, recte intelligis nemini debitum reddendum esse. Quod si charitas proximum nec contristat nec lædit, si non furatur, si alienam rem non concupiscit, certe omnibus dat quæ debet. Quum apostoli per uarias gentes proficerentur, apud quas nimurum uariæ leges, uarij mores et consuetudines essent, & hæ omnino diuersæ, non potuerunt ab apostolis uniuersæ nec conscribi nec omnino rejici. Breui ergo cōpendio in dilectionem omnia contrahunt, hanc quasi generalem regulam omnibus hominibus præscribentes, ut iuxta eam omnia transigantur. Quapropter quum Paulus ad Rom. 13. multa

y 2

de magistratibus, de pœnis, de assertione, de libertate
& iure admonuisset, in fine ad charitatem cōuersus,
omnia comprehendit. Quam qui seruat, nihil manda-
torum transgreditur, qua qui caret nihil boni facere
potest. Huic uni studeamus mihi Simon, & concident
nobis multæ quæstiones non solum friuolæ, sed & no-
xiæ. Proinde te rogo ut tot iam scripturis edocitus &
conuictus ueritati palmam des. Memineris iuxtaue-
tus prouerbium, altercatione ueritatem perdi & ob-
scurari. Memineris etiam scopum uniuersæ scripture
esse fidem, charitatem, & innocentiam uitæ. Huc ma-
gis specta quam ad contentionem, seu ad falsam scien-
tiæ opinionem. Consydera præterea, quod hæc da-
mnata secta bonam partem ueterū hæresum secū con-
trahit, nata ex ambitione, ex inuidia et odio, in hoc ut
unicam ecclesiam Christi disparet. Redi igitur ad
ecclesiam Christi, redi ad unicam illam sponsam, sis
ouis Christi, & agnosce ueri pastoris uocem. De redi-
tibus & decimis quæ collegi subnectā. SIMON.

Quod tam acriter repugnaui, magis factum est ut
discerem quæ ignoraui, quam ut sic sentirem. Cetera
rū ex his quæ hactenus inter nos sunt disputata, scias
me multum utilitatis accepisse. Pro tua igitur diligen-
tia, & ardentí in me studio gratias tibi ago sempi-
ternas. Librum quem addis legam, ea mente spero, e-
tiam eodem fructu, quibus tua uerba excepti. Tu in-
terim

terit uale. IOIADA. Et tu uale.

TRACTATVLVS DE
REDITIBVS CONTRA PER-
plexos & tumultuosos catabaptistas.

PRAEFATIO.

ADEO periculis maximis obnoxiae sunt
diuitiae, ut periculo non possit carere qui
de his scribere instituerit. Quod ego cha-
rissimi non temere subeo, sed motus ca-
tabaptistarum falsa doctrina, qua multos uel in liber-
tatem carnis, uel in carnificinam conscientiarum conij-
ciunt. Obtestor autem omnes fideles per dominum Ie-
sum Christum, ne meis scriptis aliter, quam a me sunt
edita, abutantur. Nolo auarus hinc praetextum suae
cupiditati, aut scenerior suae fraudi ansam arripiat.
Ad coruos cum affectibus hisce. Nos in scribendo pu-
blicam pacem & concordiam spectamus, aequitatem &
iustitiam promouemus. Quidquid ergo hoc non spe-
stat, quidquid contra deum uel confictum uel medita-
tum fuerit, a nobis tanquam falsum & indignum rej-
citur. Volumus enim ut omnia ad regulam charitatis
metiantur, quam Christus ponit Matth. 7. Quaecunq;
uultis ut uobis faciant homines, eadem facite & nos